



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

5 Turcarum supplicium an fuerit olim apud veteres, & de Crucis Patibulo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

landis & pungendis equi præstantissimi, quique arte equitã-
di reliquos centauros præcelleret. Etenim adnotavit So-
phoclis interpretes in Ariæ, apud Græcos dictionem istam
in compositione magnum, & eximium significare.
qua ratione *invenitur* hominem insanissimum, & maxime
tarentem, cum, qui inexpliciter venerem confectatur
frequentissime Græci interpretatur. vnde par sit Hippo-
centauros dictos fuisse præclaros, & eximios Centauros.
Sophoclis interpreti præter alios consentit Suidas. idem
obicit Aristophanis scholiastes in Nebalis in Raui. Aut
sine dicti fuisse Hippocentauri equites præstantissimi, *ante
invenitur* id est, ab stimulantibus equis. Quod apud Pin-
darum in Pythiis hymno secundo adnotatur scholiasta.
Nam & ille Pindarus, centaurum natum fuisse fabulatur
ex coniunctione Ixionis cum Nebula, quæ Græcè Nephelè
dicitur. Centaurum vero coniunctione Thesalicarum a-
genarum genuisse animalia, quæ paulo ante diximus à vete-
rarum dici Hippocentauros. Interpres Apolloni Rhodii. i.
scribit, Saturnum transformatum in equum ex Phylira O-
ceani filia Chronem genuisse, qui ex eo dictus fuerit Hip-
pocentaurus.

Cæterum quod diuus Hieronymus scribit, quamvis &
iple hoc incertum esse existimet, potest commode dæmo-
num illusionibus tribui. Nam & sancti viri cum tertris spi-
ritibus congressus frequenter habuerunt, ab illisque di-
versis imaginibus, ac multiplici specie prope sunt delusi.
Quod passim veteres auctores tradidere. & ex iunioribus
Alex. ab Alexandro li. 4. dierum geni. cap. 10. Sed & diuus Græ-
gorius harum delusionum quandoque in suis dialogis me-
morat li. 4. cap. 37. li. 3. cap. 7. & cap. 16.

CAPVT III.

SVMMARIVM.

Præfectus Calceatus apud Inuicemconsultum, quis sit intelligendus, & de viti-
o calciamento.

Paulus si singulari. de offic. pres. vigil. cap. 3. sciendum est, inquit,
præfectum vigillum per totam noctem vigilare debere,
& coercere calciatum cum hamis, & dolabris, vt curam ad-
hibeant, omnes iniquitatis admonere, ne negligentia ali-
qua incendii casus oriatur. Hæc Paulus. Quid sint hamæ, ex
Plinio & Iuuenali docuit Andr. alciat. in lib. 4. & in l. ferri. ff. de
viti. signific. Calciamtum præfectum multi adnotant dici à
Iulio consulto ex eo quod inter vestimenta militaria con-
numerentur & calciamenta apud Lampridium in Alexan.
& milites calciaati apud eundem dicantur. Nos idem obser-
uauimus & ex Flauio Vopisco in Aureliani militari episto-
la ad vicarium suum, quam operæ pretium me facturum
exultimo si adscripsero.

Si vis tribunus esse imo si vis viuere, manus militũ con-
tine. Nemo pullum alienum rapiat. Ouem nemo contin-
gat. Vuam nullus auferat. Segetem nemo deterat. Oleum,
salsignum nemo exigat, annona sua contentus sit. De præ-
da hostis, non de lacrimis provincialium habeant. arma
tertia sint ferramenta famiata. Calciamenta fortia, vestis
noua vellem veterem excludat. Stipendium in balneo, non
in popina habeat. Torquem brachiale, & anulum appo-
nat. equum saginariũ suum defricet, captũ animal nõ ven-
dat, mulum centuriatum comiter curet. Alter alteri quasi
seruus obsequatur. à medicis gratis curentur. Aruspici-
bus nihil dent, in hospitiiis caste te agant, qui litem fecerit, va-
pulet. Hæc Aurelianus. apud quem fortia Calciamenta, quæ
fuerint, & qui fuerint Calcæi militares, nemo quod ipse sciam
hucusque adnotauit, tamen id constat ex Iosepho, qui ob-
bitur hac de re lib. 7. cap. 3. Latini codicis, at Græci lib. 8. cap. 7. bello
Iudæo. Iuliani militis insignem fortitudinem commemo-
rans calceos, inquit, habens creberrimis, atque acutis clau-
uis, vt ceteri solent milites, fixos, dum strato saxeis crustis
solo occurreret, labitur, magnoque cum armorũ sono deie-
ctus in tergum fugientes rediit. Ex quibus sane verbis
intelliges quæ dixerit fortia calciamenta Vopiscus. Eadem
de Iuliano scribit Egesippus li. 5. de excid. Huiusmodi. ano. cap. 30
velut inquit, hic Iulianus, qui tergo imminet barbitũ dum
aliquos perimit, & clauistro coërcet ipsa alacritate incau-
tor, confixũ clauis calciamentũ gerens. vsum militarium
virorum nõ considerauit polito lapide solum strati, quod

cauendum foret, sed quasi in campo præliaretur securus
labitur, & ingentem strage sua sonitum dedit. Hac forsan
ratione Plautus in Captiuis dentes calceatos ioco dixit,
quasi ferro munitos, vt & pedes militum calciaati fortibus
sane calciamenti. Ergastulus parasitus de conuiuio

Nunquam isthoc vices me hegio, ne postules.
Cum calceatus dentibus veniam tamen.

Sic multas calceare apud Suetonium in Vespasiano c. 23.
id est, ferreis soleis munire, Catullus ad Colloniam:

Et supinam animam graui derelinquere casu
Ferream vt soleam tenaci in voragine milam.

Obiter tamen apud Vopiscum ferramenti famiata intelliges
mucronata, & acuta ex Nonio Marcello, qui testis est, ver-
bum hoc famiare apud veteres in hac significatione recep-
tum fuisse. Apud Hieronymũ in epist. de Origenis erroribus. Cal-
ciati pedes armati intelliguntur aduersus serpentes.

CAPVT IV.

SVMMARIVM.

Hadriani Cesaris rescriptum de Muliere pregnantæ ab Ægyptiorum, & Græ-
corum legibus aduatum fuisse.

Pregnantis mulieris, quæ damnata sit, corporis pœnam
differri quoad pariat, & eade ratione nec eam torquen-
dam esse, respondit Vlpianus lib. 14. & 37. ad Sabinum, idque
ex rescripto Hadriani ad Publicum Marcellum in l. pregnan-
tis. ff. de penis. & in l. Imperator Hadrianus. ff. de statu. homin. cuius res-
ponsum quamplures interpretationes, & intellectus poterit
lector deducere ex his, quæ vtrobique à nostris traciuntur,
& à Gulielmo Benedicto in cap. Raynuitus, in verb. & sobolem. nu.
60. de testam. Hippol. Marfil. in l. i. in princip. nu. 19. ff. de quæstio-
nibus & in practica. §. nunc videndum. num. 49. Matth. de Afflic. in
in consuet. Neapol. tit. 23. nu. 11. Quibus illud nec temere addere
libuit, quod Plutarchus de sera numinis vindicta scribit
asserens, hoc à Græcis quibusdam legislatoribus ab Æ-
gyptiaca lege transcriptum fuisse. Ita enim inquit Ægypti-
acæ legem, quæ gravidam donec pariat, in mortis
carcere custodire iubet, nonne Græcorum quidam consul-
te vobis transcripsisse videntur? idem asserat Diodorus
Siculus li. 1. Sed & Æliano auctore li. 5. de varia historia. Areo-
pagita cum fœminam quandam veneficij accusatam, con-
iunctamque mortis pœna damnare constituerent, non
prius eam occiderunt, quam peperisset, ipsam matrem, quæ
crimen commiserat, & quæ sola culpam contraxerat, pun-
nere volentes, infantem conceptum in vtero, omni culpa
immunem ab eo mortis supplicio liberantes. Legis vero
quæ apud Romanos erat, meminit maxima cum laude
Clemens Alexandrin. li. 2. Stromatum, & Philo in lib. de cha-
ritate.

CAPVT V.

An olim apud veteres Furcarum supplicium
fuerit in vtu, & de Crucis patibulo.

SVMMARIA.

- 1 Furca quid significauerit apud Latinos.
- 2 Crucis supplicium an idem quod furca fuerit
- 3 Litera T. supplicij nota.
- 4 Crucis supplicium à Constantino Magno abrogatum.
- 5 Crucis signum & Charactæ olim saluationis nota, Hieroglyphica signifi-
catione.
- 6 Furcarum electio, capitalis, & criminalis iurisdictionis signum.

Famosos latrones in his locis, vbi grassari fuerint, furca
figèdos compluribus placuisse, testis est Calistratus Iu-
risconsultus lib. 6. de cognitionib. in l. capitalium. §. famosos ff. de penis.
E cuius responso plerique adnotarunt olim furcarum sup-
plicium apud veteres fuisse frequentissimum, quorum o-
pinioni suffragatur idem Calistratus eadem l. capitalium. in
eius initio, Smmum, inquit, supplicium esse videtur ad furcam
damnatio. Vlpian. item in l. acvilegi. ff. ad legem Iul. pecula. Scri-
bens, proconsules sacrilegos quosdam in furcam suspen-
disse. Eiusdem supplicij meminere Paulus in l. si quis aliquid. §.
1. ff. de penis. Modestinus in l. 3. §. si quis ff. de ve. milit. Titus Lilius
lib. 1. lex, inquit, horrendi criminis Duumviri perduellio-
nem iudicent. Si à duum viris prouocatione certato: si
vincent, caput obnuito, infelici arbori resse suspendito,
vel intra pomærium, vel extra pomærium, idem paulo
inferius, eum sub furca vinctum inter verbera, & cruci-
tatus

cius videre potestis? Quo in loco *infelicem arborem furcam* dixit, in qua quis ob crimen laqueo suspendatur. Plinius vero *li. 16. cap. 26.* quæ dictæ fuerint infelices arbores explicat. Cicer. in oratione pro C. Rabirio perduellionis reo. Namque hæc tua, quæ te hominem clementem, popularemque delectant: Ilictor, colliga manus, quæ non modo huius libertatis, mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompili, sed Tarquini superbissimi, atque credulissimi regis ista sunt cruciatus carmina, quæ tu homo lenis, ac popularis libentissime commemoras: Caput obnubito, arbori infelici suspendito, quæ verba Quirites iam pridem in hac Republica non solum tenebris vetustatis, verum etiam luce libertatis oppressa sunt. Hæc Cicero. Sed & furcam veteres Latini appellarunt *Lignum crucis*, cui superfigebatur temo. Id dempto temone, seruorum, qui in familia deliquerant, humeris per viciniam circumferendū imponebatur contumeliæ causa, atque inde furciferi dicti auctore Plutarcho in martio Coriolano. Et in problematis Romanis *cap. 70.* quo in loco & illud adiecit, Græcos nominare lignum istud *καυδόν*. Latinos furcam, cum in priori scripserit à Græcis hoc lignum dici, *καυδόν* & *καυδόν*. Ex quo lector poterit intelligere quæ Macrobius tradit *li. 1. Saturnaliorum. ca. 11.* & repetit Lactantius Firmianus *libro. 2. ca. 8.* qui seruum sub furca ad supplicium duci dixit, quod Macrobius patibulo constrictum dixerat. Arnobius vero *libro 7.* aduersus gentes de eodem seruo tractans; ad patibuli nunc rursus ad crucis poenas damnatum fuisse narrat. Lilius *li. 2.* eandem historiam scribens sub furca casum dicit. ex quo & Dionysio *li. 7.* & Plutarcho error est apud Macrobius in annis ab vrbe condita. Illud forsitan placuit furcam *καυδόν* dici quasi furcæ & crucis supplicium idem fuerit. At cruci affigebantur clauis nocentes, furca vero puniebantur laqueo suspensi, & id frequentius, licet non fuerit hoc discrimen exacte seruatum, Cicero *li. 5. de finibus. vbi de infelici exitu Polykratidis Samiorū tyranni differit*, ita inquit, Næ tū quidem miser, cum ab Oroete prætoris dare in crucem actus est. De quo Herodotus in Thalia scribit *Οροetes ἀντιμαχου*. Oroetes cruci affixit. Euseb. vero *lib. 8. de prepar. Euange. cap. 14.* de eodem Polycrate tractans dixit, *καυδόν* & *καυδόν*. id est, à Magno Rege punitus est, & cruci affixus Iustinus *lib. 22.* de Bomilcare Pœnorum Duce. Hoc, inquit, certaminis discrimine tanta desperatio illata Pœnis est, ut nisi in exercitu Agatoclis orta seditio esset, transiret ad eum Bomilcar dux Pœnorum cum exercitu fuerit. Ob quā noxam in medio foro à Pœnis patibulo suffixus est, ut idem locus monumentum suppliciorum eius esset, qui ornamentum ante fuerat bonorum. Sed Bomilcar magno animo crudelitatem ciuium tulit, adeo, ut de summa cruce, veluti de tribunali, in Pœnorum scelera cōcionaretur, obiectans illis hunc Hannonem falsæ affectati regni inuidia circumuentū, nunc Gifgonis innocentis exilium, nunc in Hamilcarem patrum suum tacita suffragia, quod Agathoclem socium illis facere, quam hostem maluerit. Hæc cum in maxima populi cōcione vociferatus esset, expirauit. Hæc Iustinus. De cruce Reguli Silius *lib. 2.*

Vidi cum robore pendens

Hesperiam cruce sublimis spectabat ab alta.

Cicero vltima in Verrem adione, dum proclamat facinus indignum fuisse Caium Romanum ciuem à Verre in crucem agi, ita inquit: Quid enim attinuit, cum Mamertini more, atque instituto suo crucem fixissent post urbem, in via Pompeia, te iubere in ea parte figere, quæ ad fretum spectaret, & hoc addere, quod negare nullo modo potes, quod omnibus audientibus dixisti palam, te idcirco illum locum deligere, ut ille qui se ciuem Romanū esse diceret, ex cruce Italiam cernere, ac domum suam prospicere posset? Itaque illa crux sola indices post conditam Messanam illo in loco fixa est. Italiae conspectus ab isto delectus est, ut ille in dolore, cruciatuque moriens, peragusto freto diuisa seruitutis, ac libertatis iura cognosceret: Italia autem alumnus suum seruitutis extremo, summoque poterit supplicio affixum videret. Hæc Tullius. Huius *Gravissima crucis*, meminit Lactant. *libro 4. diuinarum. institutionum. cap. 18.* vbi falso legitur Cannimana crux, cum potius sit ex Cicerone Gavianana. Lilius *lib. 10. decad. 3.* de profugis grauius, quam de fugitiuis consultū. Nominis Latini qui erant securi percussī, Romani in crucem sublati sunt. Tranquillus in Galba *cap. 9.* & tutorem, quod pupillum, cui substitutus hæres erat, veneno necasset,

cruce affecit, implorantique leges, & ciuem Romanum se restitucant, quasi solatio, & honore aliquo poenam legum mutari, multoque præter cætetas altiorum, & delectatā statui crucem iussit. Idem in Domitiano *cap. 10.* Item Herimogenem Tarfensem propter quædam in historia figuras, libraribus etiā qui eam descriperant crucifixis. Rursum *ca. 11.* Authorem summarum prædicam crucifigeret in cubiculum vocauit, assidere in thoro iuxta coegit. Ierurum, hilarēque dimisit, partibus etiam de cæna dignatus est. Lucanus *lib. 6.* agens de Erichthone magna vtriusque supplicii mentionem fecit illius, inquam, quo laqueo furca suspensa præcluso spiritu pereunt, & quo in crucem acti etiam affixi occiduntur.

Laqueum, nodosque nocentis

Ore suo rapit, pendencia corpora carpsit.

Abrastique cruces, percussaque viscera nimis

Vulsit, & incoctas admisso sole medullas.

Inferum manibus chalybem, nigranque per artus,

Sustulit, & nervo morsus retinente pendens.

Tranquillus in Cæsare *cap. 74.* sed & in viciscendo naturali lenissimus. Piratas, à quibus captus est, cum in deditone redigisset, quoniam suffixurum se cruci ante iurauerat, nungulari prius iussit, deinde suffigi. Quod Plutarcho in Cæsare dixit *καυδόν*, id est, cruci affixit, & in Apophthegmatis verbo à clauis deducto *καυδόν* eleganter significant. Ex quibus locis apparet, crucis supplicium nimis crudele vel ex eo fuisse, quod foret lenta in eo mors. [Isidorus *li. 5. Etymol.* Patibulum, inquit, vulgo furca appellatur: sed patibuli minor poena quam crucis: Nam patibulum appensus statim exanimat, crux autem affixus diu excruciat.] Diuus Augustinus super Ioannem *tract. 31.* supplicium, inquit, crucis adeo durius erat, quia diutius cruciabat, & omnes crucifixi longa morte necabantur. Idem *tract. 36.* pendentes enim in ligno crucifixi, clauis ad lignum pedibus manibusque confixi producta morte necabantur. Non enim crucifigi hoc erat occidi, sed diu viuebatur in cruce, non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citius finiretur. *Genf. cap. 40.* Ioseph. respondit pistorum magistris. tria canistra tres adhuc dies sunt, post quas auferet Pharaon caput tuū, ac suspendet te in cruce. Et rursus paulo post, alterum suspendit in patibulo, ut veritas coniectoria probaretur. & *cap. 41.* Ego enim redditus sum officio meo, & ille suspensus est in cruce *Deuter. cap. 21.* quando peccauerit homo quod morte plectendū est, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver eius in ligno, sed in eadem die sepelietur, quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno. *Iosue. cap. 8.* Regem quoque eius suspendit in patibulo vsque ad vesperā & solis occasum, præcipite solue, & deposuerunt cadaver eius de cruce. Exat & de Aman affixo cruci, quā parauerat Mardocheo historia Hester *cap. 5. 6. & 7.* Seneca *libro 1. epist. 7. epistola.* Sed atrocissimum fecit aliquis, quid ergo meruit? ut suspendatur. Ex quibus probatur, genus hoc supplicii, quo cruci nocentes afficebantur, & suspendebantur in ea, fuisse apud veteres frequentissimum, & cruceque ipsam Græce dictam *καυδόν*. Idque euentius erit ex Luciano in dialogo, cui titulum *Indicium* vocatum. Qui finxerit eleganter, literam T. ut furem & aliena inuadentem litera S ex multis dictionibus expulsa, dignam videri, quæ in id ageretur supplicium, quod ipsius exprimeret figura, nempe cruce, quæ quidem absque ipsius nocentis suspensio corpore, sit omnino litera T. similis. Ut obiter admoneam, nihil ad hanc rem pertinere, quod Ludouicus Cælius *lib. 70. lection. Antiq. cap. 8.* adnotauit de litera longa, quæ ad similitudinem T. figuretur, quoniam, ut ita inquit, qui pedit laqueo suspensus eam plane reddit imaginem suspendio, si defuncto obtinente vicem lineæ exsuperiori parte in immum productæ, trabs vero, vnde laqueus destinatur, transuersam elemēti portionem fingere videatur. Nam utcumque id sit, & adnotari possit ad Plautinos de litera longa sales, quod lector poterit facilius expendere, ad crucis imaginem, quæ ex litera T. Luciano doctissime traditur, nihil opus est ipsius suspensū cadaverem, cum & sine ipso crux ipsam imaginem T. referat graphice. Erat etenim hac ratione apud veteres Tau, atque ideo T. Latini, supplicii nota, auctore Quintiliano libro octauo capit. tertio. Sed & fureis nocentes affixos olim fuisse, subindicat. Calistratus in *dielo §. famulos.* Plinius *lib. 29. cap. 4.* Eadem

Potest enim qui criminalem aliquo in loco habet iurisdictionem, sarcas erigere ad penarum executionem, criminumque punitionem. Quin & id agere poterit, qui cognitionem habet harum caularum criminalium, simul & executionem, licet qui in eodem loco tantum cognitionem habet earum erectionem prohibere velit, auctore Oldrado *consil. 6.* probatque Andr. Alciatus *lib. 9. Parerg. ca. 24.* erectione furcarum iurisdictionis capitalis, & meri imperii quasi possessionem adquiri, & retineri. Quod passim in his controversiis, qua de criminalis iurisdictionis vsu tractantur, obseruari diligentissime solet ab aduocatis, & iudicibus, qui ea de re sententiam sunt pronunciaturi.

CAPVT VI.

SVMMARIVM.

An liceat conductoribus à conditis migrare domibus, ex eo quod tetris Imaginibus, nocturnis illusionibus, & tumultibus inquietentur.

Posse conductores, habitatoresque timoris causa migrare si iustus sit periculi timor, quamuis periculum vere non fuerit, ab eius temporis mercede liberos, quo domum non habitauerint: respondit Alphenus *lib. 2. digestorum. l. habitatores §. vltim. ff. locat. ex quo loco,* & aliis huic similibus multa scribit Franciscus à Ripa in *tract. de peste. part. 2. num. 17.* Ceterum vidi semel, atque iterum in hoc regio, & Granatensi praetorio controuersum an hoc Iurisperiti responsum obtineret in habitatoribus, qui ex eo migrauerint, quod euidentissimis orientis tetris imaginibus alsiduisque umbrarum illusionibus, & nocturnis tumultibus, singulis noctibus & quandoque diebus inquietentur. Vix poterant haec non fabulosa, aut commetitia à iudicibus cenferi, nisi tot testibus integris, ac fide dignis forent plane probata, & ideo in eam itam est sententiam, vt liceret habitatoribus migrare liberos omnino ex eo die à mercedis solutione iuxta ipsius Alpheni sententiam, quod & Christophoro placuit in *§. vltim. insit. de locat. Sed & Romae aedes quaedam in hoc nomine ita infames fuisse, vt nemo illas incole- re, fuerit ausus, vti rem notam & vulgatam, commemorat Alexander ab Alexandris *lib. 5. dierum. genisibum. cap. 23.* Diuus Gregorius *lib. 3. dialogorum. ca. 4.* memoriae tradidit, Datium Mediolanensem Episcopum, quum Corinthum accessisset domumque ad habitandum vix inueniret, essetque in ea vrbe domus multis iam annis habitatoribus vacua, & deserta, quod eisdem loci incolae minime habitare in ea auderent propter demonis illusiones, varia spectra, & quia illic diabolus habitaret, eam domum ingressum intempe- staque nocte vocibus immensis, magnisque clamoribus leonum rugitus, balatus pecorum, sibilos serpentum, & porcorum grunnitus imitantibus vexatum demonem illud diuinis vocibus alloquutum, tandem domo expulsisse, eaque postmodum tuto, & absque illarum illusionum timore habitatam fuisse. Lucianus in dialogo Philopsueude ex enarratione Arignoti cuiusdam, licet eum inter mendacissimos connumerauerit, tradit: Corinthi domum quandam habuisse Eubatidem, in qua nemo auderet habitare ex ea causa quod habitatores spectris quibusdam territi à demonem quodam ita infestarentur, vt eam praenimio timore, & periculo rursus ingredi non fuerint ausi, donec ipse Arignotus Pythagoricus Magicis & Aegyptiis quibusdam carminibus demonem illum quandam detruserit, à quo primum exierat, Arignotum variis imaginibus territare conatus, quandoque vt canis, nunc vt leo, vel taurus ipsum inuadens: quo quidem loco die sequenti defosso corpus hominis mortui repertum est, eoque alibi sepulto domus illa his illusionibus libera, tute deinde, ac quiete habitatores habuerit. Ceterum, licet quandoque ac fortassis frequentius falsa sint, posse tamen contingere minime negauerim, quippe qui legerim apud plerisque auctores probatissima fidei. Demones nihil operari secundum naturam suam potentiam posse, quia & ipsa angelica creatura est quam us sit proprio vitio maligna, nisi quod Deus permiserit, cuius iudicia occulta sunt multa, iniusta nulla, quod diuus August. tractat. in *lib. 18. de ciuitate Dei. ca. 18.* Diuus Gregorius *lib. 3. dialogor. ca. 31.* scribit ad haec S. Thom. *part. 1. qu. 114. art. 1.* quandoque demones mitti à Deo ad puniendos homines, sicuti missus fuit spiritus mendax ad puniendum Achab, *3. Reg. cap. vii.* & id fieri secundum diuinam iustitiam propter*

peccata, tametsi demon tunc puniat, territet, & infestet homines ex odio & inuidia. Quandoque vero ipsi demones vt idem Thomas tradit, non equidem missi à Deo, sed permissione diuina, occulta sane nobis ratione homines tentant, frequenter inuitigando ad peccatum, aucipios territant, & illudunt variis imaginibus, Spectris retrisque figuris, atque innumeris illusionibus. Neque his tantum homines seculi torquentur modis, sed & viri sanctitate vitæ, & adhuc miraculis illustres, quod nos superius admodum *cap. 2.* Non enim est apud Theologos contro- uersum, demones hanc potestatem ex Dei permissione habere, & ex Paulo ad *Ephesios cap. 6.* tractatere sententiarum Magister *lib. 2. distinct. 11. S. Thom. in 4. quest. 14. art. 4. text. optimus in cap. Episcopi 26. quest. 5.* Auctor is, qui malleum malei- carum edidit, & alii qui de veneficiis fortilegiis scripturae ac praeteris Franciscus à Victoria, qui Salmantica miro omnium applausu publica lectione, & animi candore in maximam Reipublicae Christianae utilitatem Theologiam docuit, in relectione de Magia. Sed & Ethnici auctores ex arcanis philosophiae decretis hoc ipsum de demonibus ad- uerfus Aristotelem sensere quidem, & quandoque palam ac manifesto professi sunt, sicuti ex eis erudite id probat Augustinus Euginus *lib. 8. de perenni philosophia à ca. 26. ad vltimum illius libri caput.* Nec mirum haec praestigias, & illusiones aliquot in locis, non in aliis contingere, atque aliis in locis, non personis quandoque accidere: sunt enim ex oculo Dei iudicio, non equidem iudicanda ab hominibus, sed religiose ac pie praecauenda. Scimus etenim Dei maximi permissione haec fieri: causam vero ne, temere iudice- mus, minime inquirimus. Temesam Locrensi in Italia vrbe à genio quodam adeo vexatam fuisse constat, vt Temesenses, quo eam pestem effugerent, saepe patriam relin- quere cogitauerint, donec resposo Apollinis accepto, pla- care daemone illum iussi sunt vnius virginis annua ob- latione, quam in templo eius illi dicato deuouebant. tã- dem Euthymi cuiusdam animo, & fortitudine genius ille malus deus fedissima calamitate liberam vrbe illam relinquens ex agro excessit. Causa vero ab historicis ger- tilibus ea traditur, quod Vlyssis focus, quem Strabo *Palium* Pausanias *Liantem* appellat, virgine quadam per vinum vio- lata, ab ipsis Temesensibus in pona fuerit lapidibus obru- tus. eiusque manes finem nullum sauiendi in cuiuslibet ætatis homines in eo agro fecerint, vnde natu proverbum est, vt dicerent cauendum, *Temesus Grinus.* immineret, cuius rei mentio fit à Paulania Heliacorum posteriori. Aliano *lib. 8. de varia histor. Strabone lib. 6. & Leonico lib. 1. de varia histor. cap. 42.* Sed & Plinius *libro 7. epistola ad Suram* hac de re multa commemorat, praesertim scribit, Athenis domum quandam fuisse spaciolam, pestilentem tamen & infamem, quod si per silentium noctis, sonus ferri, strepitus vinculorum longius primo, deinde proximo reddebatur, mox appare- bat Idolon senex macie & squalore confectus, promissa barba, horenti capillo, qui cruribus compedes, manibus catenas gerebat. quarebatque. deinde inhabitantibus stris- tes, diræque noctes per metum vigilabantur. Narrat deinde domum illam solitudine damnatam, totamque illi mô- stro relictam, proscriptam tamen, seu quis emere, seu quis conducere ignarus tanti mali vellet, publice fuisse, & nihilominus Athenodorum philosophum, etsi suspecta vtilitas pretij erat, omniaque domus vitia comperta haberet, eam conduxisse, noctisque silentio animo ad scribendum inter- to imaginem illam vidisse, minimeque ea territum, imo ab ea vocatum illam sequutum fuisse, donec in aream domus dilapsa deseruit comitem. desertum philosophum signum loco posuisse, posteroque die magistratui adisse, desoloque eius madato loco inuenta esse implicita, & inserta catenis ossa, quæ corpus æuo, terraque putrefactum nuda & exesa reliquerat vinculis quibus denique ossibus collectis, & publice sepultis domum postea rite conditis manibus, spectris illis & terroribus caruisse. Hæc Plinius.

CAPVT VII.

SVMMARIVM.

De Nisibi vrbe, & an ea dicta fuerit Antiochia à veteribus auctoribus.

Andreas Alciatus in *librum Codicis 11. titul. de pascua publicæ & priuæ.* cum Antiochiæ vrbs celebratissima meminerit,